



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

Articulus IV. Quanta sit legis humanæ obligatio?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

& prudentiæ ante illum annum ætatis, nec tamen suo frustratur effectu, si in casu particulari oppositum inveniat. Lex irritans testamenta sine substantiali solemnitate facta, tenet, tamen in casu aliquo ab his fraudem quam præsumit: & lex irritans contractus pupillares absque autoritate tutorum initos, retinet suum vigorem, tamen in aliquo casu nullum pupillo damnus imminet, in cuius præsumptione illa fundatur.

13. **CONCLUSIO SEXTA.** *Leges & præcepta in præsumptione facti fundata non obligant in conscientia, quando fallit præsumptio.* Ita Suar. l. 3. c. 23. Sorus de Just. l. 1. q. 6. a. 4. Palus tract. 3. disp. 1. punct. 14. cum communi.

Ratio est primò: Præsumptio legis vel ideo est falsa, quia lex præsumit aliquem actum esse licitum, qui tamen jure naturali, vel divino est illicitus; vel quia lex præcipit aliquem actum licitum, sed tamen propter præsumptum aliquod factum, quod à parte rei non invenitur. Si primo modo præsumptio est falsa, per se clarum est, quòd tunc lex humana vigorem legis amittat, cum nulla possit dari obligatio ad peccandum, legisque Divinæ & naturalis vinculum longè fortius stringat, quàm ullius legis humanæ. Et patet ex c. *inquisitioni, de sent. excomm.* ubi præcipitur, quòd si quis sciens se invalidè contraxisse matrimonium, per sententiam judicis sub poena excommunicationis cogatur ad cohabitandum, & utendum matrimonio, debeat potius sententiam excommunicationis humiliter sustinere,

quàm per carnale commercium peccatum operari mortale. Si secundo modo, rursus nulla est legis obligatio, hæc quippe non intendit obligare, quando fallit præsumptio, eò quòd recta ratio dicit, veritatem falsæ præsumptioni debere præferri, c. *veritatem, dist. 8.* ideoque in foro externo admittitur probatio contra præsumptionem.

Ratio est secundò. Deficiente motivo & intentione obligandi, nulla est legis obligatio: sed si præsumptio facti est falsa, deficit motivum & intentio obligandi: ergo tunc nulla est legis obligatio. Minor probatur. In lege conditionata, deficiente conditione etiam deficit legis motivum, & intentio obligandi; sed lex in facti præsumptione fundata, est saltem tacite conditionata, si nimirum veritas facti ita se habeat, sicut præsumitur; ergo fallente hæc conditione deficit legis motivum & intentio obligandi.

Ex quibus deduces primò: Illum, qui per juramentum sententiam condemnatur solvere pecunias alteri, qui per falsos testes probavit, ipsum esse debitorem, non teneri solvere; & si cogatur, posse uti occultâ compensatione, si sciat, se non esse debitorem. Secundò. Illum, qui scit se alterius bona malâ fide, & sine legitimo titulo possidere, non posse illa titulo præscriptionis retinere, si altera pars in probanda malâ fide deficiat, quia lex præscriptionis præsumit bonam fidem, & legitimum titulum possidentis. Ita Salmantic. loc. cit. cum DD. à se citatis.

ARTICULUS IV.

Quanta sit legis humanæ obligatio?

SUMMARI A.

1. Potest lex humana inducere obligationem sub mortali.
2. Transgressio legis ex contemptu est peccatum mortale.
3. Ideo proponens committere omnia venialia peccaret mortaliter.
4. Obligatio colligenda ex verbis legis.
5. Gravitatis obligationis bene colligitur ex gravitate poenæ adjectæ.
6. Non potest dari gravis obligatio in materia levi.
7. Ad erudendam gravem obligationem consideranda est gravitas materia.
8. Unde attendenda gravitas, vel levitas materiae.
9. Sententia negantis dari levem obligationem in gravi materia primum & secundum fundamentum discutitur.
10. Responso contraria partis examinatur.
11. Alia & vera responso.
12. Tertia ratio à paritate levis materiae petita dissolvitur.
13. 14. 15. Sententia affirmantis rationes ponderantur.
16. Resolutio pro parte affirmante cum distinctione.
17. Disparitas inter gravem & levem materiam.
18. Si exprimeretur gravis obligatio in materia manifestè levi, foret levis obligatio.
19. Lex humana per se ordinariè non obligat cum vitæ discrimine.
20. Subinde tamen per accidens;
21. Et aliquando per se.

§. I.

Gravitas obligationis ex gravitate materiae.

Quod lex humana possit inducere obligationem sub mortali, jam ex præmissis constare potest; idque probat primò autoritas S. Script. ubi præceptum de abstinendo à suffocatis Act. 15. vocatur *necessarium*. Matth. 15. dicitur: *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnici & publicanus.* Rom. 13. *Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Ratio sæpius indicata est, quòd obligatio manans ex lege æterna DEI & naturali potest esse gravis & sub mortali, si materiae gravitas patiat: sed efficacia obligandi in lege humana dimanat ex lege æterna DEI, & naturali, quâ jubemur obedire potestatibus superioribus: ergo.

Certum est ex S. D. 1. 2. q. 105. a. 1. & 186. 2. a. 9. & comm. DD. Toties committi mortale peccatum, quoties fit transgressio legis ex perfecto & formali contemptu illius, quamvis fiat in materia levi. Ratio est: quia per verum ac formalem contemptum læditur graviter charitas, & gravis infertur injuria legislatori, Cæterum formalis & perfectus contemptus legis non cen-

R r 3

setur

setur esse, quando quis in particulari casu non vult parere Superiori, eò quòd res ipsa in se sit levis, vel cum passione, aut consuetudine inducitur ad transgressionem præcepti; sed cum ex malitia præcepto adversatur, ut nempe contrario actu vel omissione actus præcepti ostendat, se nolle subijci suo legitimo Superiori.

3. Ex quo infero, illum, qui proponeret, omnia peccata venialia committere, non venialiter, sed mortaliter peccaturum; nam esto, quòd omnia venialia simul sumpta non constituent in seipsis peccatum mortale; cum tamen ejusmodi propositum non possit concipi, ex motivo delectabilitatis repetæ in objectis omnium peccatorum venialium, sed ex pura malitia & libidine transgrediendi præceptum divinum, quo venialia prohibentur, ejusmodi propositum gravem contemptum Divinæ autoritatis, & læsionem charitatis in se includeret, ut taceam, cumulum omnium peccatorum venialium in se claudere proximas occasiones etiam peccandi mortaliter, sub mortali prohibita.

4. Certum est secundo, obligationem legis dependere ex voluntate legislatoris, qui si utatur verbis non solum voluntatem, sed etiam præceptum significantibus, ut *jubeo, impero, præcipio, prohibeo, nemini liceat, &c.* tamen nullam faciat expressam mentionem obligationis in conscientia, nihilominus obligare censetur. Quando nam verò hæc obligatio sit gravis, aut levis, est questio difficilius indaginis, quæ Authores in diversas spargit sententias. De quo

Certum est tertio. Nisi constet ex tenore legis ipsam esse purè poenalem, tunc ex gravitate poenæ adjunctæ transgressioni præcepti rectè colligi gravitatem obligationis. Ita Suar. l. 3. c. 26. & Clarif. D. Clete in qq. selectis q. 3. n. 13. cum pluribus citatis. Ratio est primò: quia de legislatore præsumi debet, quòd legem prudenter condiderit; atqui levi culpæ prudenter non adjicitur gravis poena, sed culpæ gravi; ergo si gravis poena adjiciatur delicto, non potest præsumi quòd sub levi culpa sit obligatio. Secundo; quia secundum S. August. l. 2. de bapt. c. 6. in statuta legis antiquæ divinæ, ex adjunctione gravis poenæ rectè colligebatur gravitas culpæ & transgressionis, cum lex dicebat: *Peribit anima illa de populo suo*: ergo similiter ex gravitate poenæ à lege humana impostæ rectè colligitur gravitas obligationis.

6. Certum est quartò. Quantitatem & gravitatem obligationis non dependere à sola intentione legislatoris, sed etiam à quantitate materiæ, cui applicatur obligatio: nam gravis obligatio necessariò requirit gravitatem materiæ; ita ut non sit in potestate legislatoris humani obligare sub mortali in materia levi: nam primò fundamentum hujus obligationis est materiæ capacitas: atqui materia levis est incapax gravis obligationis: ergo illi gravis obligatio non potest imponi. Secundo, quia ejusmodi lex seu præceptum foret irrationabile & injustum: irrationabile, quia pro re levi obligaret ad poenam æternam; & necessitatem consequendæ salutis ac conservandæ Divinæ amicitia in re levi constitueret: Esset injustum, quia *alligaret onera gra-*

via & importabilia, Matth. 23. Tertio, quia neque lex naturalis, neque Divina in re levi graviter obligat. Quarto; quia talis lex non esset in ædificationem, sed destructionem, venenum boni communis, non antidotum. Quintò. Quis toleret à Principe poenam mortis imponi pro levi transgressionem? quòd ergo iniquè imponitur per gravem obligationem reatu poenæ æternæ? Quæ obijci possunt, in decursu diluuntur.

Certum est quinto. Si legislator suam intentionem graviter vel leviter obligandi sufficienter explicet, considerandam esse quantitatem materiæ; ita ut leges humane in gravi materia graviter, in levi leviter obligent; quia in omni lege requiritur aliquod determinativum, quo in particulari determinetur, an obligatio legi intrinseca, simulque imbibita lex naturæ, quæ jubentur obedire Superioribus justa præcipientibus, sit gravis & sub peccato mortali; an levis, & sub peccato veniali. Cum ergo in hac hypothese nihil aliud adsit determinativum, recurendum est ad gravitatem materiæ. Præterea legislator humanus, nisi aliud exprimat, præsumitur efficaciam legis ad mensuram capacitatis materiæ; sed materia est capax gravis obligationis.

Dices: In dubio benignior interpretatio est faciendæ: ergo si non constet de mente legislatoris, potiùs præsumendum est, leviter voluntate obligare, quàm graviter.

Respondeo negando suppositum; non enim hoc casu est proprie dubium de voluntate graviter obligandi: voluntas quippe absolute obligandi non supponit pro voluntate obligandi secundum quid, qualis est obligatio sub veniali, sed pro voluntate obligandi simpliciter. Causa quoque sufficienter applicata in materia capaci operatur effectum, quantum potest, nisi aliud ipsius activitatis limitetur: atqui lex applicatur materiæ capaci gravis obligationis, neque limitatur à voluntate legislatoris, cui soli subest ipsius activitatis: ergo producit morem suum effectum obligationis, quantum potest; adeoque graviter obligat.

Cæterum levitas aut gravitas materiæ non semper attenditur penes intrinsecam prædicationem, quæ sub præceptum cadit: potest enim in ipsa legis materia alia reperiri gravitas vel levitas materialis, alia formalis. Materialis est, quæ accipitur ex latitudine proprii generis & objecti, sed quo materia præcepta vel prohibita continentur, e.g. comestio pomi intra genus comestionis, mixtio aqua modicissima cum vino in calice, mixtio generis mixtionis; brevis frequentatio allicipere personæ in genere familiaritatis & conversationis sunt levis materia. Formalis est, quæ sumitur ex habitudine, connexionem, & necessitate virtutem, vel finem à legislatore per se intentum, cum enim materia præcepta à legislatore allicipiantur tanquam medium ad obtinendum finem, se intentum: idcirco, sicut bonitas imperatoris formaliter est respectiva per ordinem & habitudinem ad finem; sic etiam gravitas & levitas materiæ formaliter desumenda est per ordinem ad finem à legislatore intentum, ut proinde materia in se gravis materialiter, fieri possit levis formaliter.

ter, eò quòd non habeat magnam & necessariam connexionem cum fine à legislatore per se intento. Ut si in aliqua Religione sit præceptum jejunandi in certis profestis, vicissim quoque materia levis fieri possit gravis formaliter ob magnam connexionem cum fine per se intento: unde comestio pomi prohibita Adamo non erat levis materia, quia abstinentia ab illo pomo erat imperata in protestationem debitæ subjectionis ad voluntatem Divinam, quo modo erat materia gravis formaliter. In sacrificio Missæ infusio aqua non est levis materia, quia ordinatur ad tremendum Sacrificium & Sacramentum Corporis Christi, mysticamque significationem ipsius: Frequentatio alicujus domus vel personæ non est levis materia, quando prohibetur ad evitandum grave peccatum, vel scandalum, cujus probabile periculum vel proxima occasio exinde incurritur.

Porrò triplex est finis præcipuus & ultimus legislatoris humani, ut observant Salmantic. hîc c. 2. p. 2. n. 24. Ecclesia per suas leges & canones præcipue intendit salutem animarum. Prælati Regulares per se primò intendunt observantiam votorum & studium perfectionis. Magistratus politici pacem, bonam conservationem & communem tranquillitatem Reipublicæ. Ideo præcepta valde necessaria ad virtutem charitatis, Religionis, justitiæ, votorumque observantiam, plerumque supponuntur habere gravem materiam, quæ verò non valde necessariò, sed remotè, & ad melius esse conducunt, censentur habere materiam levem.

§. II.

Possitne in gravi materia dari levis obligatio.

His positis adhuc dubitatur, possitne legislator humanus in materia gravi inducere obligationem levem sub culpa veniali, si illud sufficienter exprimat? Et quidem negativam tenent Tapia, Montefin. Bellarmin. Reginaldus, Azor, Vasquez, Becanus apud Salmantic. loc. cit. n. 19. Theologi S. Galli sect. 3. q. 1. & Augustinus à V. M. quam tenui in Thesib. de legibus c. 5. §. 4. Et ratio est primò. Non est in potestate legislatoris humani restringere obligationem juris naturalis: sed ex hypothesi, quòd legislator humanus prohibeat vel imperet materiam gravem, lex naturalis, quæ jubet obedire Superioribus juxta præcipientibus, concomitanter obligat in materia gravi: ergo legislator humanus non potest restringere obligationem juris naturalis: atqui ista in materia gravi est gravis: ergo non potest ab humano legislatore impediri quòd minus sit obligatio gravis in materia gravi.

Sed huic argumento à contraria parte occurrit: Esto, obligationem remotè radicari in lege naturæ, proxima tamen causa ipsius est voluntas præcipientis in materia ex se indifferente, & capaci vel nullius, vel gravis, vel levis obligationis. Sicut ergo lex naturalis nullo modo obligat, v.g. ad abstinentiam à carnibus, quando legislator non vult obligare ad abstinentiam, ita nec graviter obligabit, quando Superior non vult graviter, sed tantum leviter obligare: non enim lex naturalis graviter obligat ad parendum Superio-

ribus graviter non obligantibus. In forma igitur distinguitur major. Non est in potestate legislatoris humani restringere obligationem juris naturalis immediatè influentem, & independentem à voluntate præcipientis, concedo majorem; tantum remotè & mediatè influentem, ac dependentem ab intentione præcipientis, nego majorem: Et sic distinctà minore, negatur consequentia.

Ratio est secundò. Radix malitiæ mortalis, aut venialis non est voluntas Legislatoris, sed natura objecti, quæ si dicat gravem repugnantiam cum charitate & lege, fundat mortalem; si levem, fundat venialem malitiam. Unde nec Divina voluntas, quamvis liberrima in ferendis legibus, potest esse causa, ut in materia gravi potius sit levis, quam gravis obligatio: quia gravitas vel levitas malitiæ formaliter provenit ex gravi vel levi repugnantia cum recta ratione: sed transgressio Legis Divinæ in gravi materia habet gravem repugnantiam cum recta ratione; ergo transgressio legis Divinæ in gravi materia hoc ipso non potest prohiberi sub veniali peccato tantum.

Huic argumento obviat Clariss. D. Cleric. loc. cit. negando, quòd in materia indifferente radix malitiæ mortalis, aut venialis unice fundetur in natura objecti, sed tantum quòd habeat capacitatem gravis repugnantia cum lege & recta ratione, quòd autem actu graviter repugnet, id pendere ex arbitrio Legislatoris, quia materia indifferens ex objecto non est mala, nisi quia prohibita.

Verum non enervat vim argumenti responsio: quia tamen antecedenter ad obligationem materia legis sit indifferens, ut recipiat obligationem, vel non: non tamen est indifferens consequenter, ut recipiat gravem, vel levem obligationem, quia obligatio recipitur juxta modum objecti, quòd cum sit materia gravis, fit etiam obligatio gravis. Unde consequenter ad positam legis obligationem in materia gravi, eo ipso est obligatio gravis. Idque roboratur hac ratione. Proxima radix malitiæ in transgressione legis est ipsius inordinatio & repugnantia objectiva cum lege, sed posità obligatione in materia gravi non potest non resultare gravis inordinatio objectiva contra legem & rectam rationem: ergo eo ipso quòd imponatur materiæ gravi obligatio, exinde resultat proxima radix gravis malitiæ, & consequenter est obligatio sub mortali. Si respondeas: Minorem esse veram, posità gravi obligatione, non autem posità non gravi, respondes per id quòd est in questione: quid enim aliud contrahitur, quam utrum sit in potestate Legislatoris in materia gravi levem obligationem imponere? Neque placet, quòd admittit Suar. cit. c. 27. n. 10. *In his, quæ tantum sunt mala, quia prohibita, rationem peccati mortalis, aut venialis remote pendere à voluntate hominis, in quantum à voluntate hominis pendet ponere, vel non ponere præceptum prohibens, & ponere tale, vel tale præceptum: etsi enim obligatio ad aliquem actum ponendum, vel omittendum pendeat à voluntate hominis tanquam causâ, ipsa tamen inordinatio & repugnantia objectiva cum recta ratione, quæ reperitur in materia prohibita, estque radix proxima*

xima formalis malitia mortalis, aut venialis, non pendet neq; remotè ab hominis præcipientis voluntate, sed connaturaliter consequitur & resultat in materia prohibita, positâ prohibitione solum tanquam conditione, non verò tanquam causâ. Aliàs concedendum erit, rationem malitiæ mortalis & venialis remotè pendere à Divina voluntate, quia nisi esset Divina lex, nullum esset peccatum, ut probavimus in Tract. de pecc. personali. Sic pariter peccabilitas hominis dependeret à voluntate Divina: quia à DEI voluntate dependet creare vel non creare hominem, quâ creatione suppositâ necessarium est hominem esse peccabilem, ut dictum in Tract. de Ang.

11. Ideo responderetur ad argumentum, permisso primo membro antecedentis, distinguendo alterum: Radix malitiæ mortalis aut venialis est natura objecti &c. ita tamen, ut in materia extrinsecè tantum & ideo mala, quia prohibita, habeat latitudinem & capacitatem majoris vel minoris inordinationis dependenter ab intentione Legislatoris, concedo; ut non habeat talem capacitatem, nego.

Unde, inquis, habet istam capacitatem? Ex eo, inquam, quia materia indifferens, quantumcunque in suo genere & materialiter gravis, ut est perpetua abstinencia à carnibus, si per aliquam legem præcipiatur, induit rationem medii ad finem à Legislatore intentum, unde si Legislator judicer, se melius assequi finem v. g. perfectionis & charitatis, non constituendo abstinenciam in ratione medii necessarij ad finem intentum per gravem obligationem, sed tantum assumendo ut medium rationabile, & statûs Religiosi perfectioni valde accommodum per levem obligationem, abstinencia à carnibus non erit amplius materia gravis formaliter & in ratione medii, neque ipsius violatio continebit gravem, sed levem inordinationem & declinationem à charitate & amicitia Divina; quo modo vix unquam contingit alicujus statuti & regulæ voluntaria transgressio absque causa rationabili, quæ non sit culpa venialis.

12. Ratio deducitur tertio ex paritate levis materiæ: Non potest Legislator imponere gravem obligationem in materia levi juxta prius dicta: ergo neque levem obligationem in materia gravi: æquè enim est improporatio inter levem materiam & gravem obligationem, quam inter materiam gravem & levem obligationem; & sicut materia levis parit levem, sic materia gravis parit gravem deordinationem & repugnantiam cum recta ratione.

Respondetur communiter, in eo esse disparitatem, quòd materia parva non habeat capacitatem gravis obligationis, habeat autem gravis materia capacitatem etiam levis obligationis. Contra tamen datam responsionem militat, quòd etiam materia parva potest cadere sub gravem obligationem, uti patet in exemplis supra positis de pomo Adami &c. Si dicas: tunc non esse materiam parvam formaliter; idem ego dicam de materia gravi non esse gravem formaliter. Ideo quæ

Respondeo secundo distinguendo consequens: ergo non potest Legislator imponere levem obli-

gationem in materia formaliter & actualiter gravi, concedo; in materia tantum materialiter & potentialiter gravi, nego consequens: formaliter & gravitatem non habet ab intrinseco & ex natura rei, sed ab extrinseco, & ab intentione Legislatoris, illam connectente cum suo fine vel ut medium necessarium, vel ut medium non necessarium, illud per gravem, istud per levem obligationem, & sic erit materia formaliter vel gravis, vel levis.

Pro sententia affirmante, quam tenent Suarezii & Salmantic. citati, item Magnif. P. Pefschacher & Clarif. D. Cletle II. cc. cum communiori, posse à Legislatore in gravem materiam induci levem obligationem, militat plures rationes. Primò adducitur praxis variarum Religionum, quarum regulæ & statuta etiam in gravi materia, ut est abstinencia perpetua à carnibus apud PP. Carmelitas Discal. frequenter tantum obligant sub veniali. Communis tamen est responsio. Regulas in isto casu non esse propriè præceptivas, sed simpliciter directivas, quæ tamen ratione adjunctæ negligentæ vix unquam sine veniali peccato deliberatè violantur.

Neque urget, quod replicant Salmantic. ejusmodi statuta fieri ab habente jurisdictionem & potestatem præceptivam, & esse confirmata à Sede Apostolica. Nam potestas præceptiva non infert præceptum, nisi exprimat, & confirmatio Sedis Apostolicæ præcisè non imponit novam obligationem, sed tribuit solummodo robur auctoritatis, juxta statum, in quo Regulæ reperiuntur. Vel melius responderi potest secundo. In tali casu, si præcepto leviter obligante constet, materiam præceptam non esse gravem formaliter, sed tantum materialiter, modo primum exposito.

Ratio est secundo. Nulla est repugnantia neque ex parte materiæ, neque ex parte præcipientis, ut materia gravis & de se indifferens recipiat levem obligationem: ergo illam potest recipere. Antec. quoad 1. partem probatur: Materia gravis ideo est indifferens, quia ab intrinseco non exigit esse prohibita sub gravi obligatione, imò nullo modo petit esse prohibita, vel præcepta: ergo sicuti non repugnat ipsi, nullo modo est prohibita, sic etiam non repugnat, non esse prohibita sub gravi obligatione: ergo potest esse prohibita sub minori & levi obligatione. Quoad secundam partem probatur: Quia causa moralis libera non habet necessitatem explicandi totam activitatem, quam potest; sed Legislator est causa moralis & libera obligationis per suam voluntatem; ergo non habet necessitatem explicandi totam virtutem obligatoriam: ideo primò potest omnino cohibere virtutem obligatoriam, proponendo materiam gravem solum per modum consilii: potest secundo obligationem derivare ad solam poenam, vel disjunctivè ad actum vel poenam: potest tertio gravem materiam prohibere vel præcipere sub poena levi, cujus omnia tantum sit venialis, quamvis potuisset prohibere sub poena gravi: cur ergo non etiam sub levi culpa?

Respondet prior sententia, esse repugnantiam ex parte utriusque: ex parte materiæ, quia illa licet

licet antecedenter ad legem sit indifferens, supposita tamen obligatione legis connaturaliter parit gravem inordinationem objectivam, alias esset, & non esset gravis materia. Item ex parte præcipientis, quia supposita per ejus præceptum applicatione legis naturalis ad materiam gravem, non est in ejus manu, ut impediatur, quin resultet gravis deordinatio & repugnantia ad rectam rationem. Ad 1. partis probat in contrarium distinguitur anteced. Materia gravis est indifferens, quia ab intrinseco non exigit esse prohibita sub gravi obligatione, antecedenter ad præceptum, concedo; consequenter, nego. Ad 2. partis probationem distinguitur major: non habet necessitatem explicandi totam activitatem in iis quæ simpliciter dependent ab ejus voluntate, concedo; quæ non simpliciter dependent, nego. Quamvis igitur pendear ab intentione ferentis legem, ut obligatio applicetur huic determinatæ materiæ; semel tamen applicata recipitur ad modum recipientis, unde in materia gravi parit gravem obligationem, in levi levem. Unde adductæ instantiæ nihil evincunt. Non prima, quia in illo casu nulla obligatio applicatur materiæ, quod est in potestate obligantis: non autem est in potestate limitare magnitudinem obligationis. Neque secunda, quia rursus est in potestate præcipientis huic, vel illi materiæ, actui vel pœnæ applicare obligationem. Non tertia, quia pœna tanquam aliquod bonum potest esse effectus dependens à voluntate præcipientis, quem proinde potest moderari: at culpa aliena non potest esse effectus dependens à voluntate Legislatoris: cum habeat solum causam deficientem, adeoque nec gravitas vel levitas ipsius potest taxari à Legislatore.

15. Contra prædictas tamen responsiones proponitur Ratio ulterior tertiò. Effectus moralis non potest poni sine consensu voluntatis: sed cum Legislator in gravi materia vult leviter obligare, nullus adest consensus ipsius, ut oriatur gravis obligatio; imò non vult graviter obligare: ergo neque potest oriri gravis obligatio: Vel ergo oritur levissimum obligatio, vel nulla. Non nulla, quia Legislator intendit obligare, idque potest; quis enim ligat liberam voluntatem præcipientis, cum materia quoque capax gravis obligationis, non ideo efficiatur incapax levissimæ obligationis? ergo oritur levissimum obligatio.

16. Huic posteriori tanquam probabiliori sententiæ assentior. Adverto tamen, ex hypothesi, quod Legislator leviter obliget in materia gravi, tunc materiam non esse gravem formaliter & in ratione mediæ, sed tantum materialiter & in esse rei. Quo sensu primæ sententiæ fundamenta subsistunt: Posterior verò sententia loquitur de materia gravi materialiter & in esse rei. Ratio hujus est, quod materia indifferens accipiat rationem mediæ à libera subordinatione præcipientis ad finem per se intentum: si ergo per levem obligationem velit hanc materiam non esse medium necessarium ad obtinendum suum finem, eo ipso non erit materia formaliter gravis; sin verò per gravem obligationem velit esse necessarium connexam, erit formaliter gravis.

R. P. Mezg. Schol. Tom. II.

Colliges primò. Inter gravem & levem materiam hanc esse disparitatem, quod etiam si levissimum materia per extrinsecam connexionem cum fine operantis possit aliquando gravitatem formalem induere, hæc tamen non præsumitur, nisi illam Legislator sufficienter significet: e contra nisi Legislator exprimat se nolle graviter obligare in materia materialiter gravi, semper præsumitur graviter obligare, siquidem talis materia habet intrinsecam capacitatem, ut assumatur pro medio necessario ad conservationem amicitiae Divinæ, vel alterius finis per se intenti, quam ab intrinseco non habet materia levis.

Colliges secundò. Posito quod Legislator exprimeret, gravem obligationem circa materiam manifeste levem, v. g. levitatem in risu, somnolentiam voluntariam tempore meditandi, non fore obligationem gravem, sed levem; quia tunc impedita gravitate obligationis, cujus materia non est capax, non ideo impeditur omnis & levis obligatio, cujus materia est capax, adeoque saltem erit levis obligatio sub veniali peccato.

§. III.

An, & quando sit obligatio legis humanæ cum periculo vitæ?

Quæstioni propositæ satisfacimus triplici assertionione.

CONCLUSIO PRIMA. Lex humana secluso scandalo & contemptu per se ordinariæ non obligat, quando ex ejus observatione imminet periculum mortis, vel alterius gravis damni, e. g. morbi, infamiae, &c. Ita communis DD.

Ratio est primò. Lex Divina & naturalis non semper obligat cum vitæ periculo, ergo multò minus lex humana. Antec. quoad legem naturalem patet; quia nemo tenetur reddere depositum, restituere famam, tenere naturale secretum, quando exinde probabiliter mors imminet. De Divina lege constat ex 1. Reg. 21: ubi David famis necessitate coactus comedit panes propositionis alioquin Laicis interdictos. Secundò in c. consilium de observ. jejun. declaratur, quod lex humana in gravi necessitate non obliget. Tertiò. Legis obligatio est propter bonum commune: sed sæpe magis confert ad bonum commune, ne pars communitatis mortem, aut aliud grave malum patiat, quam ut lex observetur: ergo lex in tali periculo ad sui observationem sæpe non obligat.

CONCLUSIO SECUNDA. Lex humana, subinde per accidens obligat sub discrimine vitæ, aut alterius gravis damni. Est communis DD.

Ratio est: Lex humana tunc ita obligat, quando ex ejus transgressione sequitur, aut cum illa connectitur alterius præcepti naturalis vel divini gravis transgressio: sed hoc quandoque contingit, ut si ex comestione carnis die Veneris inter Catholicos daret grave scandalum, aut contemptus Religionis Summæ Pontificis apud hæreticos oriretur, deberes sub mortali abstinere non obstante periculo gravis morbi, vel mortis ipsius.

CONCLUSIO TERTIA. Lex humana etiam per se obligat cum vitæ & gravis damni discrimine,

Si

[2.] quo-

[2.] quotiescunque boni communis magis interest observatio legis, quam vita subditi.

Ratio 1. partis est: Potestas Legislativa ordinatur ad conservationem totius communitatis; sed aliquando nequit conservari tota communitas, nisi pars exponatur periculo vitæ pro bono totius, veluti cum in bello milites, cum tempore pestis medici ad curanda corpora, Sacerdotes ad ministranda Sacramenta exponuntur: ergo lex hoc potest præcipere.

Secunda pars, quæ explicat, undenam dignosci possit, quando lex humana obliget cum vitæ discrimine, probatur: Cum finis primarius legis sit bonum commune, tamdiu viget legis obligatio, quamdiu ipsius observatio est necessaria pro bono communi: sed in casu, quo boni communis magis interest observatio legis, quam vita

subditi, legis observatio est necessaria pro bono communi, non obstante vitæ periculo: ergo etiam hoc non obstante viget ipsius obligatio.

Hinc optime colligit Magnif. P. Peitschacher discrimen inter legem Divinam, & humanam; quod cum lex Divina non obligat cum vitæ aut alterius gravis boni dispendio, id tribendum sit Divinæ benignitati, temperantis usum suæ præmæ potestatis & domini in nostram vitam & corpora: cum verò lex humana non obligat cum ejusmodi dispendio, id sit adscribendum defectui potestatis, quia legislator humanus ab auctore naturæ mediante communitate non accepit potestatem disponendi de vita & bonis subditorum nisi in ordine ad salutem, & bonum communitatis.

ARTICULUS V.

Quinam obligentur lege humanâ?

SUMMARI A.

1. *Alia vis legis directiva, alia coactiva.*
2. *In statu Aristocratico quilibet ex Optimatibus directè obligatur.*
3. *In materia de decemne statum Principis, ipse non obligatur suâ lege.*
4. *Neque obligatur suâ lege quoad vim coactivam.*
5. *Tenetur Princeps lege, quæ tantum est suâ quoad modum.*
6. *Tenetur suâ lege per accidens ratione scandali, vel pacti.*
7. *Princeps quoad vim directivam tenetur suis legibus.*
8. *Non directè. 9. Sed indirectè.*
10. *Quomodo tenetur Princeps lege irritatoriâ?*
11. *Obligatio Principis non est ex sola decentia naturali.*
12. *Transgrediendo suam legem in gravi materia peccat mortaliter contra illam virtutem, ad quam materia præcepta pertinet.*
13. *Objectiones solvuntur.*
14. *Indirecta obligatio Principis non nascitur ex pacto.*
15. *Princeps per se non obligatur lege municipali.*
16. *Ecclesiastica persone neque directè, neque quoad vim coactivam obligantur per leges civiles.*
17. *Neque obligantur legibus suum statum dedecentibus.*
18. *Clerici indirectè obligantur legibus civilibus commune concernentibus.*
19. *Argumentum oppositum diluitur.*
20. *Infantes & amentes non obligantur humanis legibus.*
21. *Pueri post usum rationis subjiciuntur legibus humanis juxta etatis capacitatem.*
22. *Et incurrunt censuras annexas.*
23. *Præsentia subditi alia physica, alia moralis.*
24. *Subditus etiam moraliter absens non tenetur lege sui territorii.*
25. *Disparitas inter legem & præceptum.*
26. *Non obest, tamen si subditus excedat territorio ad evitandam obligationem legis.*
27. 28. *Corollaria practica.*
29. *Peregrinus per animum permanendi in aliquo loco acquirit ibi domicilium, & tenetur legibus loci.*
30. *Advena volentes longo tempore habitare subjiciuntur loci legibus.*
31. *Peregrini transeuntes tenentur legibus communibus.*
32. *Et necessariis ad conservationem boni publici.*
33. *Itaq, quibus præscribitur forma contractuum.*
34. *Legibus particularibus non tenentur.*
35. *Solvuntur Objectiones.*
36. *Vagi subjiciuntur legibus loci.*

§. I.

An Princeps tenetur suis Legibus?

Nota, vim & efficaciam legis esse duplicem directivam, & coactivam. Illa est, quæ obligationem inducit in conscientia; illa, quæ transgressorem poenâ impositâ coerct, eiq, re addit obnoxium. Rursus: obligatio in conscientia potest à vi directiva provenire vel directè, vel indirectè. Directè, si causa obligandi sit ipsa lex & voluntas Legislatoris; indirectè, si lex & voluntas Legislatoris tantum sit occasio, ut obligatio aliunde resultet. E. g. subditi directè obligantur lege territorii, quia subjiciuntur jurisdictioni Principis legem ferentis; non subditus, si rans se servaturum leges territorii, indirectè obligatur, quia lex est ipsi occasio, ut juramento ligetur. Hoc posito

Certum est primò, quòd, in statu Aristocratico, ubi Optimates dominantur, & in statu Democratico, ubi summa potestas est penes certum populi, quilibet ex Optimatibus, & ex populo directè obligetur publicis legibus, quæ in priori statu senatusconsulta, in posteriori plebiscita vocantur: quia quilibet ex Optimatibus & popularibus est verus subditus respectu totius civitatis, tum optimatum in statu Aristocratico, tum populi in statu Democratico, adeoque directè obli-